



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

Epistola III. Bonifacii Papae I. Ad Hilarivm Episcopvm Narbonensem. De Patroclo Arelatensi, qui episcopum in ecclesia Luteuensi ordinarat, vt nullus contempto metropolitano ordinetur episcopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

Data sub die Idus Iunias, Monaxio viro clarissimo consule.

## NOTA.

<sup>a</sup> *Epistola.*] Hac epistola Bonifacius anno Christi 419. pontificatus sui primo, interpellatus libello accusationis a clericis Valentiniæ ecclesiæ aduersus Maximum episcopum, Manichæorum sectatorem, delegauit causam cognoscendam episcopis septem prouinciarum. Vnde patet accusationes episcoporum ad Romanum pontificem deferri solere. Baronius prædicto anno num. 107.

## EPISTOLA III.

## BONIFACII PAPÆ I.

AD HILARIUM EPISCOPUM NARBONENSEM.

De Patroclo Arelatenſi, qui episcopum in ecclesia Luteuensi ordinarat, vt nullus contempto metropolitano ordinetur episcopus.

*Bonifacius episcopus urbis Romæ Hilario episcopo Narbonensi salutem.*

**D**IFFICILEM quidem fidem querimoniis commoda-  
mus, quarum sacerdotes Domini pulsat intentio: ma-  
xime cum eos loquuntur quippiam contra patrum sta-  
tuta tentasse. Sed frequenter has asserit, sicut nunc, mul-  
tudo causantium. Ecce enim, vt caritas tua recogno-  
fcit ex subditis, Lutubensis ecclesiæ cleri ordo, vel ple-  
bis, preces suas & lacrymas ad nos, quantum datur in-  
telligi, magno cum dolore miserunt, dicentes coepisco-  
pum nostrum Patroclum, sua petitione cessante, in lo-  
cum decedentis episcopi nescio quem in alia prouin-  
cia, prætermisso metropolitano, contra patrum regulas  
ordinasse. Quod nequaquam possumus ferre patienter,  
quia conuenit nos paternarum sanctionum diligentes  
esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Syno-  
di constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, vt eadem pro-  
prie verba ponamus, Per vnâquamque prouinciam  
ius metropolitanos singulos habere debere, nec cui-  
quam duas esse subiectas. Quod illi, quia aliter creden-  
dum non est, seruandum sancto Spiritu suggerente sibi  
met censuerunt. Vnde, frater, carissime, si ita res sunt, &

*Synodus Ni-  
cæna Can. 6.*

H h iij



ecclesiam supradictam prouinciæ tuæ limes includit, nostra auctoritate commonitus, quod quidem facere sponte deberes, desiderijs supplicantium & voluntate respecta, ad eundem locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, metropolitani iure munitus, & præceptionibus nostris fretus accede: intelligens arbitrio tuo secundum regulas patrum quæcumque facienda sunt a nobis esse concessa: ita vt peractis omnibus apostolicæ sedis quidquid statueris te referente clarescat, cui totius prouinciæ suæ ordinationem liquet esse mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat: nec aliquis in illorum contumeliam partibus suis, quæ sibi ab his non videntur concessa, defendat. Cesset huiusmodi pressa nostra auctoritate præsumptio eorum qui ultra licitum suæ limitem dignitatis extendunt. Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua, adeo nos Canonum cautius præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra definiat, quatenus metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Data v. Idus Februarias, Dominis nostris Honorio XIII. & Theodosio X. Augustis consulibus.

## NOTA.

Bonifacius  
Hilario de-  
mandat vt  
quæ Patro-  
clus agat,  
expiscetur,  
& sedi apo-  
stolicæ re-  
ferat.

*Epistola.*] Hac epistola ad Hilarium Narbonensem episcopum scripta iussit Bonifacius, vt Hilarius, iure metropolitani, & præceptione apostolicæ sedis, ad locum, vbi erat Patroclus, accedat, quæ agenda sunt videat, & apostolicæ sedi referat. Dicebatur enim Patroclus fauore Constantii sedem Arelatensem vsurpassè, & alienæ metropolis iura inuadere, & in Narbonensi prouincia, sedi pastore carenti, de episcopo providere, & in locum decedentis alium episcopum subrogare, atque ordinare conatum fuisse. Baronius anno 422. num. 1.